

STVDIOSO LECTORI PHILIPPVS MELANTHON.

S. D.

**Q**VOD MVLTIVM LIBELLI  
cum Arithmetici, tum aliarum honestarum artium prodeunt, magis gratulandum est Reipub. si modo mediocriter scripti sint, quam reprehendenda sedulitas. Significant enim hæ editiones, non prorsus frigere studia literarum ac bonarum artium, vitæ necessaria. Nec aliter aut creuerunt artes, aut retinentur, nisi a multis agitatae. Atque utinam diuturna sit hæc foelicitas, & ad seram posteritatem extendatur, ut semper, tum excellentium tum mediocrium artificum eiusdem generis monumenta noua cudantur. Nec fastidiosa istorum iudicia laudanda sunt, qui tantum summorum artificum opera proferri volunt. Nisi enim multi fuissent pictores, & multorum collata opera, non excellissent Apelles & Protogenes. Accendantur studia, & excitantur ingenia, cum

A ij eandem

6.